



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus
Ergo &c.

Denique ut discurret D. Thomas hic art. 4. in argum. sed contra, *Per gratiam regeneramur in filios Dei: Sed generatio per prius terminatur ad essentiam, quam ad potentias: Ergo gratia per prius est in essentia animæ, quam in potentijs.*

Confirmatur: Si Deus ab homine auferret omnes animæ potentias, ille adhuc esset capax gratiæ sanctificantis; nam et si nasceretur sine potentijs, haberet peccatum originale, quod afficit immediate ipsam substantiam animæ, ut in Tractatu de peccatis ostendimus: Ergo posset baptizari, subindeque gratiam sanctificantem, per quam à tali peccato mundaretur, recipere.

Disp. 7.
art. 6.

182.

Obijciens primò: Contraria debent habere idem subiectum à quo se expellant: Sed subiectum peccati, quod contrariatur gratiæ, non est essentia animæ, sed ejus potentia: Ergo gratia non residet in essentia animæ, sed in ejus potentijs.

Respondeo negando Minorem: licet enim peccati actualis subiectum sit potentia, subiectum tamen peccati habitualis, & macula, cui gratia opponitur, est essentia animæ. Itaque peccatum dupliciter potest considerari, primò in ratione offensæ, & quantum ad actualem deordinationem; & sub hac ratione non opponitur directè gratiæ, sed charitati, vel justitiæ, subindeque in voluntate residet: secundo in ratione maculae, & quantum ad habituales deordinationem quam in anima causat; & sic directè opponitur gratiæ habituali, & in ejus privatione, ut actum præteritum à quo causata fuit connotante, consistit; quare immediate residet in essentia animæ, ut in Tractatu de peccatis docuimus.

Disp. 8.
art. 3.

183.

Obijciens secundo: Gratia & gloria sunt in eodem subiecto: Sed gloria non est in essentia animæ, sed in ejus potentijs; cum nihil aliud sit quam beatitudo, quæ in actu intellectus, clarà scilicet Dei visione, formaliter consistit: Ergo pariter gratia non in essentia animæ, sed in ejus potentijs residet.

Respondeo distinguendo Majorem: Gratia residet in eodem subiecto quo gloria, sumpta in actu primo, & pro dono supernaturali habente perfectionem beatitudinis, concedo Majorem: sumpta in actu secundo, & pro actu formalis beatitudinis, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Gloria non est in essentia animæ, ut est actus secundus, & ipsa beatitudo formalis, concedo Minorem: ut est actus primus, & donum supernaturale habens perfectionem beatitudinis, nego Minorem: nam sub hac ratione est ipsa gratia consummata, ut causans lumen gloriæ, eique indissolubiliter connexa. Ita Cajetanus & Conradus hic art. 4. & Capreolus in 2. dist. 26. quæst. 1. ad 1. Scoti contra 2.

DISPUTATIO III.

De divisione gratiæ.

Ad questionem 111. D. Thomæ.

Consideratà existentia & essentia gratiæ, consequens est ut varias ejus species contemplerur, innumeraque gratiæ dona, quibus nos Deus afficit, ac prævenit in benedi-

ctionibus dulcedinis, & quæ ab ipso veluti radij a Sole promanant, breviter hic declaremus & exponamus.

ARTICULVS PRIMVS.

Verum gratia creata interna convenienter dividatur in gratiam gratum facientem, & gratiam datam, & an præter gratias gratis datas, ab Apostolo recensitas, alia assignari possint?

§. I.

Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur.

Suppono primò, divisionem gratiæ in gratiam gratum facientem, & gratiam datam, non esse primariam, sed secundariam, & subdivisionem alterius divisionis, quæ gratia primò dividitur in gratiam increatam & æternam, cujusmodi est amor quo Deus nos ab æterno dilexit in ordine ad finem supernaturalem, & in gratiam creatam & temporalem, quæ comprehendit ea dona, quæ nobis à Deo in ordine ad eundem finem in tempore conceduntur. Hanc gratiæ divisionem insinuat S. Thomas hic quæst. 110. art. 1. in calce corp. art. ubi sic ait: *Per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine à Deo proveniens. Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio, secundum quod dicitur etiam gratia prædestinationis, in quantum Deus gratuito, & non ex meritis, aliquos prædestinavit sive elegit: dicitur enim ad Ephes. 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ. Quibus verbis declarat, quod quamvis simpliciter, & quasi per antonomasiam, nomine gratiæ, significari soleat donum temporale & creatum, tamen nomen & notio gratiæ propriè etiam convenit enti increato, nimirum actui voluntatis divinæ, eligentis, & prædestinantis aliquos homines ad gloriam gratuito, & independentem à meritis: unde ad Roman. 4. & 11. prædestinatio, propositum gratiæ, seu electio gratiæ nuncupatur, & Sapient. 16. per gratiam quæ dicitur omnia nutrire, supernaturalis & gratuitus Dei amor significatur. Similiter persona Verbi, quatenus communicata humanitati Christi per unionem hypostaticam, gratia substantialis & increata appellatur. Unde Christus in quantum homo dicitur substantialiter unctus à Divinitate, juxta illud Nazianzeni orat. 36. *Unctio humanitatis, Divinitas est.* Denique Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 3. ait Spiritum Sanctum, quia non nostris meritis, sed voluntate divinà gratis datur, gratiam appellari. Idem docet Augustinus serm. 31. de verbis Domini cap. 1. his verbis: *Gratia quippe Dei donum Dei est: donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, & ideo gratia dicitur.**

Adverte tamen, hoc inter actus increatos divinæ voluntatis, & Personas Divinas discrimen reperi, quod affectus supernaturales & indebiti divinæ voluntatis erga homines, ut prædestinatio & electio, sunt formaliter gratiæ ab æterno, quia ab æterno sunt formaliter dona seu beneficia supernaturalia; Divinitas verò & Persona Divina non sunt ab æterno gratiæ, sed in tempore, hoc est, licet æternæ sint quoad suam realitatem, tem-

porales tamen sunt quoad gratiæ denominationem, quia non donantur hominibus nisi median- te aliquo effectu temporali: v. g. Persona Verbi non est humanitati Christi donata in unitatem suppositi, nisi per temporalem ejus assumptionem; nec persona Spiritus Sancti datur hominibus, nisi per temporalem eorum justificationem, seu per charitatis in cordibus nostris diffusionem, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

3. Suppono secundò, gratiam Dei temporalem & creatam dividi in internam & externam: interna est ea quæ interius nobis unitur, seu quæ in anima hominis, vel in ejus potentijs residet; externa verò illa dicitur, quæ ipsum intrinsecè non afficit, sed extrinsecè tantum. Unde ad primum genus gratiæ pertinent gratia sanctificans, virtutes morales per se infusæ, dona Spiritus Sancti, & motiones gratiæ auxiliantis, in intellectu aut voluntate receptæ: ad secundum verò reducuntur omnes causæ, media, & objecta externa, per quæ mens nostra excitatur ad res divinas cognoscendas vel amandas: qualia sunt prædicatio verbi Dei, exempla Christi & Sanctorum, lectio Sacrarum Scripturarum, miracula, occasiones benè operandi, supernaturaliter præparatæ, occasiones peccandi, supernaturaliter ablata, teste Augustino Soliloq. 13. & 16. & lib. 50. homiliarum, homil. 23. ubi Deum sic loquentem inducit, *Regebam te mihi, servabam te mihi: ut adulterium non committeres, suaser defuit; ut suaser deesset, ego feci: locus & tempus defuit; ut hac deesset, ego feci: agnosce ergo gratiam &c.* Denique omnis exterior effectus divinæ providentiæ supernaturalis, ordinatus ad salutem hominum, sive promovens bonum, sive removens malum, gratia Dei externa appellari potest. Utramque gratiam eleganter describit D. Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 26. his verbis: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.*

Dico primò, gratiam creatam internam convenienter dividi in gratiam gratum facientem, & gratis datam. Ita D. Thomas hic art. 1. & alij Theologi communiter.

4. Probatur primò: Ex Scripturis constat dari quandam gratiam, quæ nos gratos facit & justos, & aliam quæ non facit nos gratos, & nihilominus appellatur gratia. De priori dicitur ad Roman. 5. *Justificati gratis per gratiam ipsius;* & ad Ephes. 1. *In laudem gloria gratia sua, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* De posteriori verò 1. Petri 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Et 1. ad Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt: alij per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum; alij fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum; alij operatio virtutum; alij prophetia; alij discretio spirituum; alij generalium linguarum; alij interpretatio sermonum.* Quibus verbis enumerantur novem gratiæ gratis datæ: Ergo gratia creata & interna rectè dividitur in gratiam gratum facientem, & gratis datam.

5. Probatur secundò ratione D. Thomæ: Gratia

A ad hoc ordinatur ut homo reducat in Deum, eique conjungatur, unde quot modis potest fieri talis conjunctio, tot debent dari genera gratiæ: Atqui unio illa seu conjunctio duobus tantum modis fieri potest, nimirum formaliter, & efficienter, seu ministerialiter: Ergo duplex erit gratia, altera quæ unimur & conjungimur Deo formaliter, & ista est gratia *gratum faciens*, quæ hominem sanctificat & justificat: altera quæ unus homo efficienter cooperatur alteri ad hoc ut Deo conjungatur, ac ministerialiter ad ejus conversionem concurrat; & hæc gratia *gratis data* appellatur, tribuendo nomen generis ignobiliori speciei, ut in alijs rebus sæpè contingit. Unde, ut infra dicemus, hæc duæ species gratiæ in eo præcipuè inter se differunt, quòd gratia gratum faciens in bonum ipsius recipientis referatur; gratis data verò in bonum & utilitatem aliorum; quò fit ut hæc posterior in peccatoribus nonnumquam reperiri possit, cum peccatores, etiam si suam negligent, possint aliorum salutem procurare, & ad eam cooperari, ad instar eorum qui arcam Noè fabricaverunt, & tamen aquis diluvij submersi sunt. Ex quo patet divisionem istam esse adæquatam; cum reddere gratum, vel non reddere gratum subjectum, & conferri ad propriam recipientis utilitatem, vel solum in bonum & commodum alterius, sint inter se opposita, & se invicem excludant; & cum gratia gratum faciens, quæ astringitur tanquam unum membrum, contineat omnes alias à gratijs gratis datis distinctas. Quod ut clarè percipiatur, & quibusdam instantijs quæ fieri possent in contrarium occurratur.

Diligenter observandum est, gratiam gratum facientem sumi dupliciter: primò strictè, pro ea quæ justificamur, & quæ reddimur formaliter grati Deo: secundò latè, pro ea quæ ordinatur ad justificationem sui subjecti, sive antecedenter, ut gratia excitans, & actus fidei & spei, quibus disponimur ad eam; sive concomitanter, sive consequenter, ut sunt auxilia supernaturalia, augmentum gratiæ, & gloria, quæ est consummatio & perfectio gratiæ; & in hac lata & ampla acceptione hic usurpatur, dum contra gratiam gratum datam distinguitur: unde licet in recto & principaliter solam gratiam sanctificantem importet, reductivè tamen & consequenter, initiativè, vel completivè, auxilia divinæ gratiæ, habitus virtutum, & donorum, veluti justificantis gratiæ dispositiones, aut complementa, complectitur, subindeque omnes alias gratias distinctas à gratijs gratis datis. Quod Vazquez non consideravit, dum in brevi annotatione ad articulum primum hujus quæstionis, dixit hanc divisionem esse quidem bonam, sed non adæquatam gratijs hujus vitæ; eò quòd sub neutro ex ejus membris fides & spes, & auxilia quibus ad vincendum tentationes, & exercenda opera virtutum juvamur, comprehendantur: illa enim, ut jam ostendimus, sub gratia gratum faciente, tanquam ejus initia vel dispositiones continentur.

Dico secundò, etiam subdivisionem gratiæ gratis datæ in novem ab Apostolo assignatas esse adæquatam. Est contra Vazquem, Bellarium, & Suarezem, existimantes dari alias gratias datas, præter novem illas quas recenset Apostolus, ipsumque famosiores tantum remissè: unde Suarez ait illis debere addi characterem sacerdotalem, jurisdictionem in foro interno, & specialem assistentiam Spiritus Sancti, quæ Summo

Pontifici, & Concilij legitimè congregatis, ad definiendas res fidei assistit.

Hanc tamen divisionem, ut sufficientem & adequatam, recipit Rupertus lib. 3. de glorific. Trinit. ubi novem istas gratias novem ordinibus Angelorum correspondere demonstrat. Eam etiam approbat, & defendit S. Thomas 1. ad Corinth. 12. lect. 2. & hic art. 4. egregio & mirabili discursu, qui sic breviter potest proponi. Gratia gratis datæ dantur ad hoc ut homo ad alterius salutem & conversionem cooperetur, non quidem interius movendo (hoc enim solius Dei est) sed solum exterius docendo, vel persuadendo. Ad hoc autem tria sunt necessaria, primum ut homo qui alium docere debet, habeat plenitudinem cognitionis Divinorum; secundum, ut possit probare & confirmare ea quæ docet; tertium, ut quæ docere debet, possit convenienter proferre his quos instruit. Ad hoc ut quis habeat plenitudinem cognitionis Divinorum, tria requiruntur, primum est cognitio eorum quæ in divina scientia tanquam principia supponuntur; secundum est cognitio principalium conclusionum; tertium est cognitio effectuum divinorum; ex quibus oportet interdum manifestari causas: & ideo tres gratiæ gratis datæ sunt necessariae ad plenitudinem notitiæ de Divinis, scilicet fides, per quam prima principia creduntur; sapientia, per quam cognoscuntur principales conclusiones; & scientia, per quam divini effectus sciuntur. Ad hoc vero ut homo confirmare possit quæ docet de Divinis, requiruntur duæ: unum est ut faciat quæ solus Deus facere potest; & hæc sunt opera miraculosa, quæ duplicia sunt; aut enim sunt ad salutem corporum ordinata, aut ad solam divinæ potentie manifestationem, sicut quod Sol ster, aut te nebre scat, & his similia; & ideo ad hoc ut qui Divina docet, ea confirmare possit, ponuntur duæ aliæ gratiæ gratis datæ, quæ sunt gratia sanitatum, & operatio virtutum: alterum est ut possit manifestare ea quæ solius Dei est scire; & hæc sunt duæ, scilicet futura contingentia, & occulta cordium, & propterea ponuntur duæ aliæ gratiæ gratis datæ: ad cognoscenda enim futura contingentia, ponitur prophetia; ad cognoscenda vero occulta cordium, ponitur discretio spirituum. Denique ad hoc ut ille qui Divina docere debet, possit convenienter illa auditoribus proponere, necessaria est facultas pronunciandi, quæ attenditur vel quantum ad idioma, vel quantum ad sensum eorum quæ sunt proferenda: unde propter hoc ponuntur duæ aliæ gratiæ gratis datæ; nam propter primum, ponitur gratia linguarum, & propter secundum, ponitur interpretatio sermonum. Constat ergo novem tantum gratias gratis datas admittendas esse: nam ad plenitudinem scientiæ dantur tantum tres, nimirum fides propter principia; sapientia propter principales conclusiones; scientia propter effectus: ad hoc vero ut possit confirmare, quatuor tantum necessariae sunt, scilicet gratia sanitatum, propter corporalem salutem; operatio virtutum, propter divinæ potentie ostensionem; prophetia, propter futura contingentia; discretio spirituum, propter cognitionem secretorum cordis: denique ut possit docenda proponere, requiruntur tantum duæ; nempe genera linguarum, propter idioma; & interpretatio sermonum, propter sensum sententiarum.

8. Confirmatur hic discursus, detegendo, id quod decepit Suarem & Vazquem. Ideo enim ipsi alias gratias gratis datas, præter novem jam adductas

A & explicatas, admiscere, quia nescierunt distinguere gratias gratis datas, à ministracionibus, & operationibus, quas tamen distinguit Apostolus 1. ad Corinth. 12. dicens: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Deus.* Quomodo autem hæc distinguantur docet D. Thomas ibidem, lect. 1. Nam gratia gratis data solum importat actum manifestativum fidei; ministratio verò, seu ministerium, dicit auctoritatem exercendi aliquem actum in ordine ad alios, ut Apostolatus, prælatio, &c. operatio verò est executio ipsius ministerij. Ex quo patet fundamenta horum Authorum esse frivola & nulla: Opposito enim quod prædicta Apostoli divisio intelligatur de gratia gratis data, prout distinguitur à ministracionibus, & operationibus, nulla potest assignari, quæ ad aliquam ex novem explicatis non reducat: character verò sacerdotialis, iurisdicctio in foro interno, & assistentia Spiritus Sancti, quæ à Suare assignantur, ad ministraciones, non autem ad gratias gratis datas pertinent.

Quæres, an prædictæ gratiæ gratis datæ sint in homine per modum habitus, an verò solum per modum motionis transeuntis?

Respondeo aliquas ex illis esse in homine per modum habitus, ut fidem, sapientiam, & scientiam; his enim gratijs ad arbitrium & quando vult utitur, quod argumento est esse in illo permanentem & per modum habitus: alias verò in eo esse per modum motionis seu impressionis actualis, quæ producta effectu statim desinit, cuiusmodi sunt gratia sanitatum, operatio virtutum, donum prophetiæ, & discretio spirituum; his enim gratijs ad arbitrium uti non possumus, sed solum quando à Deo movemur: quæ de causa Sancti cum ad miraculum edendum se accingere vellent, solebant preces ad Deum emittere, ut motionem hanc, seu divinam assistentiam impetrarent. Legimus etiam in Scriptura 4. Regum 3. quod quando Elizeus voluit prophetare, petiit ut adduceretur ei psalter, ut per eius harmoniam & psalmodiam in extasim raperetur; & in sua extasi irrueret in eum spiritus Domini, qui rem de qua erat questio illi revelaret: quod argumento est, ipsum non habuisse donum prophetiæ ex habitu, sed tantum per motionem quandam actua-

E Similiter in vita D. Bernardi refertur, quod ille nunquam se ad edendum miraculum accingebat, nisi prius saporem quandam suavissimum circa præcordia sentiret, quo Deum sibi præsto esse ad miraculi operationem iudicabat: quod ostendit ipsum non habuisse donum miraculorum, per modum habitus, sed per modum motionis & impressionis actualis. Unde D. Gregorius homil. 9. super Ezechiel. bellè observat, quod Spiritus Sanctus Sapient. 1. stabilis simul ac mobilis appellatur: *Quia (inquit) in Sanctorum cordibus iuxta quasdam virtutes semper permanet, iuxta quasdam verò recessurus venit & venturus recedit: in fide etenim, & spe, atque charitate, & in bonis alijs, sine quibus ad celestem patriam non potest venire, sicut est humilitas, in spiritibus, atque misericordia, perfectorum corda non deserit: in prophetia verò virtute, doctrina faciundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.* Quibus verbis aperte declarat, aliquas gratias gratis datas, ut prophetiam, & donum miraculorum, non esse in hominibus permanentem, ac per modum habitus, sed duntaxat

10. xat transeunt, & per modum coruscationis transeuntis, & motionis seu impressionis actualis.

Adverte tamen, ab hac regula excipiendum esse Christum, in quo hujusmodi gratiæ fuerunt per modum habitus, idque propter duo: quia scilicet ejus humanitas erat instrumentum, realiter & hypostaticè unitum Divinitati; ideoque consentaneum fuit, ut quemadmodum illa conjunctio erat permanens, & nunquam dissolvenda, sic etiam gratiæ gratis datæ, quæ hanc unionem consequerentur, essent in eo permanenter & per modum habitus. Deinde quia Christus erat præditus potestate quam vocant excellentiæ, ratione cujus imperio in omnes creaturas potiebatur, & de his ad suum arbitrium disponebat; ideoque ad libitum suæ voluntatis poterat miracula patrare, & Dæmonijs, morbis, & mari, ac ventis imperare, ut in Evangelio legitur. De quo fuit in Tractatu de Incarnatione.

§. II.

Corollarium præcedentis doctrinæ?

11. EX dictis intelliges, gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, in aliquibus convenire, & in alijs differre: conveniunt enim primò in eo quod utraque est donum supernaturale: secundo, quia utraque datur ad spiritualem utilitatem: tertio, quia utraque est gratia Christi Redemptoris, cum detur in statu naturæ lapsæ ad æternam salutem consequendam.

Differunt autem primò ex fine: nam gratia gratum faciens per se primò refertur ad propriam sanctificationem; gratis data ad alienam: sicut quædam hominis potentia ordinatur ad perfectionem individui, ut facultas nutritiva & augmentativa; aliæ verò ad conservationem speciei, sicut potentia generativa. Dixi per se primò: quia interdum gratia gratum faciens refertur & ordinatur secundariò ad utilitatem aliorum; ut patet in gratia Christi, quæ cum sit gratia capitis, secundariò ordinatur ad profectum & sanctificationem aliorum hominum; gratia etiam gratis data vergit secundariò in utilitatem habentis, cum subjectum in quo est ornet & perficiat, & si bene illa utatur, vitam æternam mereatur.

Secundo differunt in hoc quod gratia gratum faciens propria est iustorum, non quidem quoad singulas sui partes, sed collectivè, & quoad præcipuam sui partem, quæ est gratia formaliter sanctificans, & mortale peccatum ab homine in quo est excludens: gratia verò gratis data, & collectivè, & quoad quamlibet sui partem, etiam perfectissimam, in homine injusto, & mortalis peccati labe inquinato, reperiri potest. Unde donum prophetiæ, quod inter omnes gratias gratis datas eminet, infidelibus & paganis concessum fuit: Cayphas enim Ioan. 11. prophetavit expedire ut unus homo pro populo moreretur: & Numer. 22. Balaam, tamen ariolos & idololatra, prophetiæ donum obtinuit: Sybillæ etiam, quamvis ethnice, dono prophetiæ clauerunt, earumque vaticinia multum ab antiquis Patribus commendantur.

Tertiò differunt, quia gratia gratum faciens est altioris ordinis & perfectionis, quàm gratia gratis data, ut docet D. Thomas hic art. 5. nam gratia gratum faciens per se nos conjungit Deo; gratia autem gratis data, solum intervencu gratiæ gratum facientis; item prima est participatio

Tom. IV.

A divinæ naturæ, ut natura est; secunda verò solum aliquod Dei attributum, puta scientiam, vel potentiam ejus participat. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 12. enumeratis gratijs gratis datis, subdit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, scilicet charitatis, de qua cap. 13. sermonem instituerat, dicens: *Charitas nunquam excidit: sive prophetia evacuabitur, sive lingua cessabit, sive scientia destruetur*. Item Christus Lucæ 10. prohibet Discipulis, de miraculis per ipsos editis gaudere: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur &c.* Ne putarem (inquit Augustinus) in talibus factis majora bona esse, quàm in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur.

B Aliqui addunt quartam differentiam, nempe quòd gratia gratum faciens conferatur per modum habitus, seu qualitatis permanentis; gratia verò gratis data, per modum actus, seu motionis transeuntis. Sed hoc non verificatur universaliter, cum gratia gratum faciens (ut supra annotavimus) comprehendat auxilia gratiæ excitantis, quæ dantur per modum motionis & impulsus; & cum aliqua gratia gratis data concedatur per modum habitus, ut de fide, sapientia, & scientia supra diximus.

ARTICULVS II.

De divisione gratiæ in operantem & cooperantem.

Dico primò, gratiam rectè dividi in operantem & cooperantem. Conclusio est certa de fide: gratia enim operans colligitur ex illo Pauli ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere*; & ex illo Isaïæ 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*: cooperans verò colligitur ex illo 1. ad Corinth. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*; & ex illo Marci ultimo: *Domino cooperante*. Utramque etiam insinuat Concilium Arausicanum can. 9. his verbis: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operemur operatur*: & similiter Augustinus lib. de gratia & lib. arbit. cap. 17. dicens: *Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incipit*, quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Item D. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 11. hæc scribit: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum*. Similia habet Anselmus in illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei mecum*. Denique D. Augustinus serm. 13. de verbis Domini bellissimè observat, Deum non edificare templum suum de lapidibus mortuis, quæ nullam habent operationem & motum, sed de lapidibus vivis, quæ ita à Deo moventur & applicantur, ut ipsi se moveant, & applicent, ac Deo operanti cooperentur: *Vos (inquit) tanquam lapides vivi coadificamini in templum Dei: ducimini, sed curritis vos; ducimini, sed sequimini; movemini, sed & vos moveris*.

Ratio etiam suffragatur: Deus enim per suam gratiam debet incipere omnia nostra bona opera, quod fit per gratiam operantem; & similiter debet nobiscum eadem operari, quod fit per gratiam cooperantem: Ergo datur utraque gratia; & sic gratia rectè dividitur in operantem & cooperantem. Consequentia patet: Antecedens

P